DE
DYSENTERIA EPIDEMIA OBSERVATIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XX. MENSIS IULII A. MDCCCXLVI.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

PETRUS BERNARDUS BERGRATH.

DÜSSELDORPIENSIS.

OPPONENTIBUS

A. MARCUS, MED. ET CHIR. DR. PRACT., ASSIST. PRIM. CLIN. MED. BONNENS.
G. MAYER, MED. ET CHIRURG. DD.
G. SCHERVIER, MED. ET CHIRURG. CAND.

BONNAE,

LITTERIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE

MEDIC., CHIRURG. ET PHILOSPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO AC SUMME VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Dissertationem inauguralem rite conscribendi quum opportunitas offerretur ejus generis materiem eligere malui, cuius accuratiorem in praxi clinica cognitionem capere potuerim. De Dysenteria igitur tempore aestivo anni 1845 Bonnae epidemia observationes ad lectos aegrorum institutas composui, variis autem, quantum fieri potuit, de morbi natura autorum opinionibus et controversiis abstinui, me tironem adhuc in arte medica de re toties pertractata parum novi allaturum esse ratus. Quae vero pagellis hisce sequentibus animadversiones continentur, ad triginta circiter dysenteriae casus maximam partem in clinico medico Bonnensi et policlinico observatos pertinent, quum universam tunc temporis in urbe et regionibus vicinis luem dysentericam grassantem observandi et describendi neque opportunitas data fuerit, neque otium suppeditaverit. Caeterum quae ex aliis de morbo audiverim opportuno quocunque loco adiecta invenies.

Postremo non praetermittendum putabam, quin meritas illis viris iustasque gratias agam, qui in elaboranda mihi

Dissertatione magno adiumento fuere: praeceptori primum meritissimo et summe venerando cl. Nasse, qui observationes in clinico medico et policlinico institutas emittendi benevole mihi licentiam dedit, Professori porro cl. Albers, qui librorum mihi largitor exstitit munificentissimus, nec non Doctoribus spectatissimis Claus et Marcus, qui casus ab ipsis observatos lubentissime mecum communicarunt.

Dabam in morotrophio Sigburgensi d. 1. Iulii 1846.

Praecedentes Iulium menses anni 1845 magna tempestatum vicissitudine praecellebant. Maium frigidulum ac pluvialem aeque ac Iunii dies primos frigidiores calida admodum tempestas sequebatur, quam brevi inde a medio Iunio ad exeuntem usque frigiduli dies, nubili et pluviales excipiebant. Genius epidemius illo tempore catarrhoico-inflammatorius observabatur pluresque organorum abdominalium hepatis praecipue inflammatione corripiebantur.

Mense Iulio mediam barometrum altitudinem indicabat 26″ 11,0‴, thermometrum + 17, 6 °R., hygrometrum 53. Summa barometri quae observabatur altitudo erat 28″ 7, 4‴ (die V. Iul.) statusque hic diu retinebatur, exeunte autem mense multum recedebat, ita ut die XXIX. Iul. 21″ 7,2‴ indicaret. Summa thermometri altitudo erat + 28° R. (d. VII), quam satis subito sequebatur minima + 10° (d. XII et XVI). Auster et Africus tempestatem serenam siccamque ad diem usque nonum retinebant; crescente luna Favonius et Caurus, plenilunio cum sudo coelo Boreas, decrescente luna Favonius alternis et Africus spirabant, quo tempore pluviae et nubilum maxime variabant. Genius epidemius catarrhoicus erat, sed prioribus diebus serenis pauci solummodo morbis corripiebantur. — Catarrhi plurimi inde a die XVIII ad XXI usque observabantur, quo tempore tempestas maxime variabat. Typhus intercurrebat et organorum abdominalium inflammationes praevalebant. Inde a medio mensis curriculo prima dysenteriae specimina in agris et

pagis Bonnae vicinis occurrebant et sub finem mensis casus primos in urbe ipsa exortos clinicum medicum curabat.

Mense Augusto minimam barometri altitudinem 27″ 7,2‴ (die XIX) maxima satis subito 28″ 2,6‴ excipiebat; thermometrum autem magis variabat. Altitudo enim eius minima die XVIII notabatur (= + 7,6°), summa autem die XXIX + 21,0° R. explebat. Altitudinem mediam invenimus barometri 27″ 10,892‴, thermometri autem + 13,225° R. Africus plurimum temporis spirabat et totus mensis magnis tempestatum vicissitudinibus praecellebat. Imbres alias coelum atris nubibus obtectum deiiciebat nimbosque, clarus alias coelo sereno sol splendebat. Calor eximius per diem, ut modo dixi, nunquam observabatur, vespere autem frigus augebatur. Genius epidemius inflammatorius erat totumque per mensem dysenteria in urbe maxime et una aliae organorum abdominalium affectiones inflammatoriae grassabantur. Typhi specimina aliquot intercurrebant.

Ineunte Septembri ad medium mensem usque siccitate et sudo coelo tempestas praecellebat, ita ut pluvias modo nunc nimbos coelum deiiceret, densior modo nebula oriretur, nunc sudo iterum coelo et siccitate frueremur. Vespertinae horae et matutinae frigore adaucto praecellentes observabantur, meridie autem sat magnum thermometrum statum indicabat. Media thermometri altitudo erat + 11,2, maxima + 18,3 (meridie diei XVIII), minima + 4,7 (die XV hora septima matutina). Barometrum saepius quidem sed parum fluctuabat; indicabatur illo altitudo maxima 28″ 1,8‴ (die I) minima 27″ 7,1‴ (die XV). Genius epidemius, qui ineunte mense inflammatorius fuerat, inde a medio in catarrhoico-inflammatorium mutabatur. Nova dysenteriae specimina non ita multa occurrebant et sub finem mensis lues dysenterica evanescere videbatur. Typhus rarius occurrebat.

Medio mense Iulio prima dysenteriae epidemiae specimina in pago Kessenich i..de ab urbe Bonna ad Africum et in collis radicibus sito exorta esse audivimus. Adulti imprimis sed infantes quoque plures morbo corripiebantur morbusque tantam quandoque vehementiam exhibuit, ut paucorum dierum spatio plures obierent. Saepius una in domo omnia familiae membra dysenteria deinceps afficiebantur, infantibus autem prae caeteris morbum periculosissimum fuisse comperi. Casum unum quem pluries vidi in pago illo exortum foemina maxime debilitata praebuit et iam grandaeva, quae licet vehementissimis torminibus et tenesmo vexata fuerit et plures per dies multum sanguinis perdiderit, cura insuper medica reliquisque subsidiis necessariis fere omnino destituta sit, tamen morbum feliciter evicit. Exeunte Iulio primam vidimus dysenteriam in urbe exortam, quam vix sanatam alius in clinico ipso aeger e Typho cerebrali convalescens die VIII Augusti dysenteria gravi correptus sequebatur. Paulo post tertius dysenteriae casus in regione urbis septentrionali plateaque, quam „Cölnthorcaserne" vocant, exortus est brevique plures in regionibus urbis remotioribus corripiebantur. Omnis dysentericorum numerus per mensem Augustum a clinici medicis curatorum quindecim explebat, quorum una aegra (uxor K . . . s) sub finem morbi in nosocomium recepta mortem occubuit. Mense Septembri his aegris accedebant alii septem in urbe correpti et octava in clinico medico ipso aegra die VIII Sept. morbo affecta est. Uno eodemque tempore morbus in clinico chirurgico servos et aegros ibi habitantes fere omnes aggrediebatur, ita ut medio Septembri octo ibi homines dysenteria laborantes numerarentur, quorum una mortem obiit. Alios itidem urbis medicos summam morbi frequentiam inde a medio Augusto ad medium usque Septembrem observasse audivimus, sed pauci tantum homines morbo succubuerunt.

Eodem tempore ad finem usque Septembris morbus in agris pagisque ab urbe remotioribus septentriones et Caurum versus sitis, e. g. in oppidulo Euskirchen, Monasterii Eifliacorum vehementissime grassatus est et talem ibi plurimum vehementiam exhibuit, ut brevissimo tempore plures obierent. Ineunte mense Septembri dysenteriam etiam Coloniae Agrippinae maxime grassatam et pagos agrosque circumiacentes aggressam esse comperi. Militum quoque turbae tunc temporis in iisdem his regionibus ad exercitationes autumnales instituendas collectae brevi tempore morbo et tam vehementer correptae sunt, ut castra movere necessarium iudicaretur. Totum per mensem Octobrem nullus dysenteriae casus novus in curam clinicam susceptus est, ineunte autem Novembre denuo morbus exacerbescere videbatur. A clinico chirurgico unum, a clinico medico tres illo tempore dysentericos curatos esse notavimus, quorum unus, iuvenis St . . . r mortem occubuit.

CAPUT I.

Observationes diagnosticae.

§. 1. Symptomatologia.

Quod ad prodromos morbi pertinet non semper eos occurrisse invenimus, imo vero plerumque subito morbus aegros invasit. Nonnulli leviore postea morbi modo correpti pluribus diebus ante quam morbus exoriebatur defatigatione leviori membrorumque gravitate laborabant, quibus signis ciborum in aliis appetentia imminuta, lingua obtecta, sitis, interdum nausea et cardialgia levis accedebat. Aliquot paucis diebus ante alvo laxiore cum torminibus levioribus periodicis vexabantur, nonnulli pluribus etiam septimanis ante tormenta percipiebant. Leviora haec tor-

mina subito graviora facta prima morbi completi indicia fuerunt. Puerum scrofulosum, imbecillem N...n sanguinis aliquid alvo perdidisse et dolore in epigastrio antequam tormina et tenesmus adfuerint laborasse audivi. Febrientes ante initium morbi non vidimus. Luciam, custodem clinici, innuptam, 46 annos natam, quae iam multos per annos organorum digestionis imbecillitate laboraverat, post taedium in curanda alia dysenterica acceptum dolore in epigastrio, nausea, vomendi conatu affectam curavimus. Brevi exinde in febrem intermittentem et hepatitidem, deinde, quum Mercurium dulcem non ita magna dosi sumsisset, perfrigerio in salivationem incidit. Mercurialismus vix sanari videbatur, quum perfrigerii novi accessu dysenteria oriretur, quam initio iam morbi exorturam esse timebamus. Alii plurimi prima luce sani videbantur nocteque iam sequente ingenti dolore vexati in lecto volutabantur.

Symptomata praestantissima pathognomonica, quibus absolutus morbus noster dignosci poterat notissima illa erant quattuor, quibus semper dysenteriam praecellere invenimus: singularia nempe ventris tormina, tenesmus, profluvia alvi serosa, mucosa et cruenta febrisque. Quae morbi signa quum variis in dysenteriae nostrae casibus magis minusve differentia varioque insuper nexu coniuncta invenirentur, singulatim hic accuratiusque pertractabo.

Prima morbi signa atque indicia tormina fuere ventris, ut Celsi nomine utar, eaque variae indolis et quoad vehementiam et quoad sedem constantiamque.

Inde ab initio morbi, nisi remedia in usum vocabantur per dies primos dolor omnium maximus erat et interdum etiam ingravescebat. Plurimi pungentem dolorem querebantur initio morbi, alii lacerantem, alii colicum dolorem vocabant. In aliis tantam haec tormina vehementiam exhibuerunt, ut lacrimas aegri effunderent cruribusque attractis in lecto quasi in globum collecti iacerent, alii dolore

vexati in lecto volutabantur. Luciam illam supra laudatam, quae interpositis aliis affectionibus in dysenteriam inciderat, tanto dolore cruciatam vidimus, ut in quovis fere doloris aggressu lipothymia corriperetur. Caeterum in omnibus quos cum Doctore Marcus observavi tam vehemens fuit in ventre dolor, ut lectum aegri quaererent et duae tantum puellae invenirentur, quae in cubiculo obambulare potuerunt. Dr. Claus in aliis tormina plerumque leviora fuisse contendit.

Plurimi dolorem totum ventrem occupare contendebant, nec multos habuimus qui regionem praecipue umbilicalem dolere questi fuerunt. Aegrota Lucia inde a principio morbi regionem prae caeteris epigastricam dolore vexari affirmabat, et iuvenis ille St...r in morbi regressu oppressus dolorem accurate intestinum crassum obtinere digitis monstrabat. Tormina diutissime in hoc aegro in recto et regione iliaca dextra retinebantur, sub finem morbi autem iliacam sinistram occupabant. Caeteroquin in reliquis fere omnibus dolorem diutissime in inferioribus ventris partibus locum obtinuisse memini. Alii pauci levioribus quidem ventris torminibus sed maiore in regione sacrali dolore vexabantur[1].

Plerique dolorem fixum querebantur, alii tormina vagari et ventrem quasi variis locis dilacerare contendebant. Continua tormina paucos tantum questos esse memini, plurimi plerumque leviorem tantummodo in ventre dolorem sentiebant et impetus quosque appropinquantes vehementiores oris distortione et clamoribus indicabant. Plerique, quam diu morbus in acme versabatur levissima aura, linteorum iam remotione torminum statim accessionem talem provocari querebantur eosdemque quocunque potus tepidi

1) Cfr. Medicin. Correspondenz-Blatt rhein. u. westfäl. Aerzte Band IV. Nro. 19 (1. Octob. 1845).

haustu maiore facto torminum impetu recidivo correptos vidimus. Idem Degener post liquida sumta in dysenteria neomagensi observatum enarrat[1]). Vehementiam summam tormina illo temporis momento exhibebant, quo alvi solvendi necessitudo instabat, ita ut in sella plerique familiari aut suppositoria durante deiectionum frequentia summo dolore aegri cruciarentur. Alvo deiecta autem, ut saepius fieri solet, dolor remittebat, immo fuerunt qui tunc tormentis parumper omnino vacarent. Adhibito digitorum pressu dolor in levius quoque affectis adaugebatur et interdum etiam illis temporis momentis quibus dolore vacare aegri videbantur alto pressu dolorem excitare licuit. In fere omnibus autem regio iliaca utraque attactum aegerrime ferebat.

Illi, quorum leviora tantum tormina erant neque etiam reliqua morbi symptomata extensam gravemque intestini affectionem indicabant, remediis postea nominandis dolore sensim liberabantur, gravius autem affecti, quorum periculosiore intestina affectione correpta esse omnia signa consentiebant, tormina plerumque recidisse querebantur. Aeger ille infelicissimus St...r intervallis quidem lucidis interpositis multis tamen inde a morbi initio ad mortem usque modo rarioribus modo frequentioribus torminum accessionibus per quindecim dies prostratus detinebatur. Caeteroquin omnium celerrime in iis tormina remisere, quibus statim ab initio morbi remedia data sunt, si qui autem aegri tertio demum quartove die medicum in auxilium vocabant remissionem quidem primo proferre licuit sed tormina brevi pluriesque recidiva fiebant. Quosdam vidimus quibus ter quaterque, cum conditio bona videretur, tormina subito et mala cum iis signa reliqua ingravescebant neque in omnibus caussam huius rei externam invenire licuit. Si

---

1) I. H. Degener, Hist. medica de dysent. biliosa contagiosa etc. Traj. ad Rhen. 1738 et 1754. pag. 17.

reliqua e morbo mala in melius mutabantur, omnium primo loco tormina remisisse memini, sed raro dum reliqua symptomata evanescebant et convalescentia instabat torminum quoque omnino finem factum esse constat. Dolor enim in ventre levior non solum ad morbi exitum usque commorari solebat, sed per convalescentiam plurimos progredientem perque septimanas saepius plures aegros comitabatur et pressu digitorum augebatur. Dolore hoc tandem remoto gravitatis interdum in ventre sensus post cibos potusque sumtos affectionis pristinae monitor relinquebatur, quem per hebdomades plures aegri secum ferebant. Nescio num casus fuerint, in quibus nullis remediis adhibitis prospero cum successu tormina sponte evanuerint, revera autem aegram vidimus K... s in qua reliquis morbi signis in peius ruentibus dolor subito remittebat, qui vehementissimus modo fuerat, nec priorem vehementiam assequebatur sed mors brevi insequebatur.

Dolorem praeter hunc magis minusve fortem nonnulli sensu molesto in ventre laborabant, quasi pondus in parte inferiore abdominis suspensum deorsum premeret, quod alvo excerni posset. Sensum hunc, quum accessi una tenesmi praesentia confirmari viderentur, ex accumulatis in recto et intestino crasso faecibus ortum ducere rati, virium omni intentione alvo solvenda materias hasce excernere aegri studebant. Inanis licet opera videretur iterum nihilominus iterumque unum idemque enitebantur usque dum maxime defatigati lecto incumbere cogebantur. Idem Pemberton observaverat[1]).

Tenesmus plurimis in aegris admodum fortis fuit sed tamen vehementiae varietates occurrere. Constat eum ple-

---

1) Praktische Abhandlung über verschiedene Krankheiten der Unterleibsorgane von Chr. R. Pemberton, deutsch von Bresler. Bonn 1836. pag. 91.

rumque doloris in ventre ardori respondisse, ita ut levioribus torminibus vexati levem quoque tenesmum questi fuerint. Nonnullis tantum per totum morbi decursum torminibus tenesmus multo gravior fuerat. Describebant tenesmum aegroti tanquam pungentem et urentem in ipso ano constrictionis sensum, quasi subito anus et intestinum rectum contraheretur et alvi solvendi necessitudo urgeret. Sensu hoc, quem bene a modo descripto in inferiori abdomine ponderis sensu distinguebant, inducti plures sellam saepissime familiarem quo alvum solverent querebant et morbi initio revera etiam magna virium contentione fluidi aliquid alvo protrudere poterant, quum autem morbo progrediente tenesmi vehementia incresceret, et desidendi una cupiditate frequentiori inducti iterum iterumque aegroti sellam suppositoriam aggrederentur, nisus plerumque inanis relinquebatur, neque summo labore aegri quidquam profluvii edere poterant, quo factum est, ut novis tenesmi accessionibus aeque ac magnis insuper in alvo solvenda contentionibus cruciati defatigarentur. Aegra illa Lucia tantopere tenesmo cruciata in alvo solvenda innixa est, ut sudor semper largus exoriretur.

Torminum ventris remissionem tenesmi quoque fortitudo imminuta comitabatur, et si qua de caussa novus torminum impetus exoriebatur tenesmum una auctum invenimus. Quemadmodum, ut supra dixi, tormina lentius omnino evanescebant aeque etiam cum tenesmo factum esse memini, ita ut, quum morbus in melius verti videretur, cum torminibus tenesmus nisi omnino evanesceret, certe tamen valde remitteret, leviore autem gradu plerumque per plus minusve temporis retineretur. Nonulli etiam per longum ipsius convalescentiae spatium, quum reliqua morbi signa omnino disparuerint et conditio ad normam reduceretur, leviore constrictionis in ano sensu, quotiescunque alvum solvere debuerint, sese affectos fuisse contendere.

In morbi fastigio tenesmus summam, ut supra dixi, vehementiam exhibuit, sed tamen nullos eadem assidue vehementia tenesmi aegros cruciatos fuisse notandum est. In levius aegrotantibus fere omnibus tenesmus non solum saepius remisit verum etiam parumper omnino desiit, ita ut pro vario temporis spatio omni dolore in ano aegri vacarent. Qui initio morbi aliquid in tenesmi accessione alvo deiicere poterant, magnam statim doloris in ano remissionem laudabant, quum autem nisus ad alvum solvendam inanis fieret, tenesmi quoque diutius vehementia perdurabat. Uxor K . . . s quum brevi ante mortem sponte subitoque dolor remitteret et brevi omnino evanesceret, tenesmo quoque liberabatur, iuvenis autem St. . . r pluribus diebus ante mortem tenesmo fere omni vacabat quum tormina saepius redirent et recrudescerent.

Virginem L. . . y II, 25 annos natam, robustam validamque quum dysenteria chronica laboraret pruritus in mingendo sensu affectam, glorem autem eius uxorem L. . . y I, 29 annos natam nec minus fortem una cum tenesmo primis morbi diebus ischuria laborantem vidimus. Neque tormina ventris in utraque omnium maxima neque tenesmus fortissimus erat et uxor brevi sanabatur. Contra in uxore K. . . s quum corpus secaremus vesicam urinariam partesque adiacentes affectas invenimus, durante autem vita nulla huius affectionis signa apparuerant. In reliquis nec ischuria nec spasmus vesicae aderat, licet ingentem saepius vim tormina assequerentur, quibus in casibus plurimi scriptores ischuriam raro deesse enarrant.

Prolapsus ani in dysentericis nostris non occurrit.

Tertio de alvi profluviis dicendum est, quorum magna licet diversitas fuerit certa tamen genera discrepantia statuere licet. Prima morbi accessione plures alvo iusto laxiore et frequentiore per aliquot dies laborasse iam supra dixi, sedes autem eorum nimis quidem aquosae sed faecu-

lentae adhuc apparuere, ita ut aegri tenesmo adhuc reliquisque morbi signis liberi mera sese cuiusvis generis diarrhoea affectos putaverint.

Plerique morbo vere erupto alvi profluvia statim multum muci continentia frequentius deiiciebant et tenesmo uno laborabant. Sedes hasce in nonnullis albidas vidimus, mucosas, fluidas, primo aliquid faecium, brevi autem nihil amplius materiei faeculentae continentes. Nonnulli horum in toto morbi decursu ne vestigium quidem sanguinis alvo perdiderunt, in aliis plurimis autem sedes pituitosae, albidae striis brevi et lineamentis sanguinis tingebantur. Aegrota Lucia longas particulas fragmentaque solida muci una cum pituitosis alvi profluviis fluidis inde ab initio morbi per dies quinque perdidit, dein autem quum morbi vehementia subito incresceret per biduum nil aliud quam sanguinem merum partim fluidum et quasi e vena missum partim coagulatum excrevit. Septimo morbi die sanguinationem hanc intestinalem mucosae iterum deiectiones sequebantur albidaeque, quum autem convalescentiae tempore irae quondam aegrota indulsisset, illico fere merum denuo sanguinem alvo edebat. Idem postea in eadem ipsa factum esse memini, quum multo adipe parati inscio medico farciminis particulam sumsisset. Alii statim ab initio morbi meri sanguinis copiam primum maiorem, dein minorem et interdum minimam quavis sede ediderunt materie aquosa commixtam; muci autem hisce parva semper copia, materiei faeculentae initio tantum morbi adhuc minor inerat. Primis diebus morbi interiectis sedibus his filamenta parva, tenuia, fibrinosa, flavescentia et interdum sanguine tincta commixta inveniebantur, quorum copia per dies aliquot augebatur et dein iterum decrescere videbatur. Has caruncula fibrinae sanguinis bacilli ope paratae similes esse et adspectu et chemicae constitutionis exploratione probatum

est. Materies illas albidas, adiposas, quarum alii scriptores mentionem fecere, nusquam vidimus.

In acme morbi alvi deiectiones materiem praebebant aquosam, multo sanguine admixto rubefactam aut sanguinem merum et interdum coagulatum, mucum dein et fibrarum illarum copiam magnam continentem. Odor tunc temporis deiectionum singularis in omnibus et descriptu difficilis neque tamen putridus observabatur. Quum morbus in sanitatem verteretur sedes magnam colorum varietatem praebuerunt; fuerunt enim plerumque viridescentes aut fuscae, alias rubescentes, multum semper muci, parum fibrarum et minus in dies sanguinis continentes; quum vero reliqua morbi signa remitterent faeces iterum alvo excernebantur, mucus autem et sanguis sensim discedebant et quidem primo loco sanguis, ultimo mucus. Plerisque per parvum convalescentiae spatium alvus iusto laxior et muco abundans relinquebatur, aegra autem Lucia, quae ex hepate saepius laboraverat statim post dysenteriam sanatam in obstructionem alvi pertinacem incidit. Iuvenem S...e, 19 annos natum convalescentiae initio Dr. Marcus materies non concoctas ciborum alvo deiicientem vidit brevique sanavit.

Gravius morbo et remediis atrociter resistente affecti merum primo per nimis longum tempus sanguinem alvo excernebant, dein autem dissolutum sanguinis eruorem eiiciebant. Quum aliae huic ex affecto intestino materiae accederent, e. g. mucus, pus, bilis decomposita aut perverse mixta, factum est, ut singularis saepe coloris sed tenuis semper materies proflueret, cuius odor putridus eo magis depravabatur, quo diutius morbus durabat. Sedum harum colores non solum per dies verum etiam per singulas horas mutabantur. Sanguinem semper inesse iam e colore concludendum erat, sed modo plus modo minus inerat, plurimum autem semper sanguinis meri alvo excretum inve-

nimus quoties tormina ventris et tenesmus subito ingravescebant.

Aegrotorum qui e morbo periere diversae sedes fuere. Uxor K...s inde a primo die quo eam vidimus ad exitum usque tales semper sedes quas modo descripsi deiecit, et interdum quoque aliquantulum sanguinis meri. Sedes eximium foetorem spargebant vere putridum, ita ut diutius in eius cubiculo morari vix quisquam posset. Horis duabus ante mortem deiectiones alvi plane cessabant, ad hoc usque temporis momentum autem fere uno tenore largissime fluxerant. Iuvenis St...r similes hisce sedes per plurimum morbi decursum deiecit, insignes praecipue magna fibrarum carnosarum copia, sed multum praeterea sanguinis perdidit, qui modo merus, modo commixtus sedibus inerat. Opinione celerius decimo tertio morbi die aegrotus epistaxin largam tulit, quam illico fere mutatio conditionis sedum secuta est: sanguinis enim nihil amplius inerat, deiectiones materiem fluidam, viridem, muci maiorem et caruncularum minorem copiam continentem praebebant, quae brevi spissior facta faeculenta videbatur. Sedum haec conditio decrescente una frequentia ad diem usque decimum sextum morbi remansit, quo subito aeger exstinctus est. Odorem sedes huius aegri inde a principio morbi eundem atque in modo dicta uxore K...s putridum, dulciculum spargebant, cui similem profluviorum foetorem inter alios aegros in iuvene tantum S...e Dr. Marcus observavit feliciter sanato.

Involuntarias alvi deiectiones in aegra K...s sub finem morbi demum observavimus, in puero St...r multo prius et per plures dies, quibus praeteritis sedes aeger bene et ad mortem usque retinendi potestatem recuperavit.

Scybala qualia post aliquot dies aut sponte aut medicaminibus praemissis secedere solere Pringle et alii dicunt, non vidimus, neque villosae abrasiones, ramenta et

ξυσματα[1]) invenimus. Caeterum parvas tales mucosae abrasiones revera per alvum secedere posse non dubito, maiores autem et tubulatas e muco potius et materie exsudata formatas esse cum Zimmermann[2]), Berndt, Schübler[3]) et Schweich[4]) contra sententiam a Morgagni, Rokitansky aliisque propositam consentio.

Copia materierum alvo excretarum pro morbi stadio differebat. Initio enim quavis sede satis magna copia excernebatur, ingravescente autem tenesmo et increscentibus torminibus in dies haec imminuebatur, ita ut, simul ac morbus summum vehementiae fastigium adeptus fuit, minima tantum quavis sede et summa virium contentione vestigia fluidi seroso-sanguinei aegroti deiicere potuissent. Largiores illo tempore deiectiones rarius intercurrebant. Ubi autem tenesmus remittere videbatur, largiores iterum et copiosiores sedes fiebant. Pringle[5]) neque sanguinis excreti copiam magnam neque humorum aquosorum maiorem ac in levi diarrhoea esse putavit, cui sententiae experientia edocti assentire non possumus.

Quod sedum numerum attinet levius affectos modo decies circiter modo sedecies alvum per nychthemerum solvisse memini. In summo caeterum morbi fastigio summa quoque sedum frequentia una autem minima excretorum copia fiebat. Gravius affectos vero multo plures illis sedes habuisse constat. Multi sedum numerum, quum medicus quaereret, afferre non poterant, ingentem eum fuisse dicentes, alios vidimus

---

1) Cfr. van Swieten comment. in aph. Boerhav. § 221 et Degener l. c. pag. 16 seq. 2) Ueber die Ruhr unter dem Volke. Zürich 1767 pag. 55. 3) Ueber die polypösen Concremente bei der Ruhr etc. in Harless's Jahrbb. der teutschen Med. u. Chir. 3 Bd. Nürnberg 1813. 4) Zwei Abhandlungen zur practischen Medizin. Düsseld. 1845 pag. 39. 5) Beobachtungen über die Krankh. der Armee. Uebers. von Brande. Altenburg. 1772. pag. 257 seq.

qui in acme morbi uno fere tenore in sella suppositoria versabantur. Saepius vasa suppositoria omnino materie excreta referta custodes evacuarunt et uno eodemque die repleta iterum invenerunt, unde, si totum spectamus, eximiam humorum copiam per anum secessisse constat, licet in acme morbi sedes per aliquot dies fere omnino cessaverint. Zimmermann[1]) perplures sanavit, qui duodecim horarum spatio sedes ducentas habuerant idemque alio loco per unum diem quadraginta libras fluidi aquosi excretas esse narrat.

Disquisitione microscopica sedum dysentericarum saepius instituta corpuscula semper muci et sanguinis invenimus nec non cellulas epiteliales mucosae intestinorum, praeterea etiam corpuscula incertae formae corpusculis sanguinis maiora, granosa globulosque pusillos, quae ex inflammatione producta habemus. Simon[2]) in dysenteria illa, quam albam vocant, corpuscula muci praevalentia invenit, in deiectionibus autem rubris, sanguine tinctis globulos multos sanguinis una cum magna corpusculorum muci copia inveniri, cellulas vero epitelii modo omnino deesse modo perparva copia observari contendit. Globulos sanguinis ipsos parum mutatos invenimus et colorem integrum praebentes; fibrina vero adhaerente illos taeniae instar compositos, quod Remak[3]) observavit, non vidimus. Idem auctor maiorem cellularum epitelii copiam planarum, sphaericarum et cylindricarum in sedibus dysentericis occurrere recte pronuntiavit meritoque cellulas illas granosas, licet corpusculis puris haud absimiles fuerint, muci tamen globulis adnumeravit. Similem iam Zimmermann sine exploratione quidem microscopica sententiam probavit[4]). Prae-

1) l. c. pag. 13 et 52. 2) Handbuch der angewandten medizin. Chemie II. Theil. pag. 491. Berlin 1842. 3) Diagnost. u. pathogenet. Untersuchungen in der Clinik des Hrn Geh.-Rathes Schönlein etc. Berlin 1845. 4) l. c. pag. 53.

terea Remak in sedibus dysentericis confervas multas, saepe etiam fucos fermentatorios et raro etiam vibriones, in sedibus quoque typhosis occurentes, invenit, quae omnia in nostris frustra quaesivimus.

Exploratione chemica quum temporis angustia premerer paucis tantum in casibus vehementioribus instituta et album en inveni et bilem. Fibrinam carunculae illae supra nominatae continebant. Simon (l. c.) in dysenteria tantum illa, quam biliosam vocant profluviis alvinis pigmentum bilis inesse narrat. Accuratiorem deiectionum explorationem chemicam Bosch publicavit, sed illam dysenteriam spectat qua plerique in India batava advenae afflictantur[1]), quam, licet e Boschii sententia a morbo europaeo dysenterico maxime differat, tamen unam eandemque intestini crassi affectionem habendam esse putavimus. Saeculo iam transacto Huck[2]), qui in India occidentali et America septentrionali dysenteriam vidit, licet coelum valde differat tamen morbum illic cum iisdem signis decurrere, iisdem remediis sanari raroque maiorem quam dysenteria europaea vehementiam, prout calor maior sit, praebere contenderat, eodemque tempore Lind[3]) aliique quae discrimina in aliis terris dysenteria exhibeat e coeli tantum diversitate exoriri, naturam autem morbi eandem ubicunque esse putarunt. Accedit quod intestini particulam in museo academico Poppelsdorfiensi conservant e cadavere dysenterici cuiusdam in Iava sumtam, in qua eaedem mutationes inveniuntur, quas in aegris nostris morte abreptis observatas brevi dsecribam. Sed ad sedes dysentericas redeamus necesse est.

1) De dysenteria tropica, benevens een vlugtig onderzoek etc. door W. Bosch. Te s'Gravenhage 1844. pag. 265. seq. 2) Apud Pringle l. c. 3) Versuch über die Krankheiten, denen Europäer in heissen Climaten unterworfen sind. a. d. Engl. übers. von Pezold. Riga u. Leipz. 1773.

Deiectiones illae, quarum explorationem chemicam Bosch instituit, signa physica eadem praebuere, quae in Epidemia nostra sedes uxoris K...s et iuvenis St...r supra descriptae. Pondus specificum in casu primo explevit 1,022 (Beaumé), in altero 1,033; temperatio huius brevi post deiectionem 90° F. illis autem 90½° F. fuit. Utroque in casu multum albuminis, bilis sanguinisque inveniebantur, sed et materies illa quam »Osmazom« vocant, mucus porro et parum puris, Ammonium carbonicum et acidum uricum inerant. —

Quarto denique de febri agam morbum nostrum comitante. Alii scriptores morbum dysentericum interdum sine febre occurrere, alii semper febrem adesse contendunt, veram autem sententiam hos tantum dixisse non dubium est.

Aegrorum nostrorum nemo febri omnino carebat. Nonnullis tantum levius affectis febris tam mitis fuit, ut vix conspici potuerit, in gravius autem laborantibus plerisque accidit, ut primo morbi impetu pertransacto quae initio vehemens et perspicua fuerat reliquis signis non mutatis mitescere et fere omnino evanescere febris videretur. Accuratius autem re investigata febrem minime evanuisse invenimus, vires autem corporis e morbi saevitie corruentes ad fortiorem actionem febrilem commovendam non amplius sufficere, quo factum est ut febris adspectu quidem mitior et fere deficiens, revera autem multo periculosior apparuerit. Summatim in gravioribus febrem parum conspicuam sed eandem periculosiorem, in mitioribus fortiorem, eandem autem boni plerumque ominis praevaluisse et si quo in aegro rebus adversis morbus principio levis gravior et periculosior fieret febrem semper mutatam esse observavimus.

Febrientes ante morbi initium non occurrisse supra dixi, morbo autem erupto statim febrem accessisse constat. Casus perpauci levissimi febre gastrica coniuncti fuere,

reliqui autem plerique rheumatica-inflammatoria. Illi saporem amarum in ore, linguam obtectam, nauseam ructusque, appetentiae ciborum defectum, sitim parum auctam, cutem humidiorem calidamque, pulsum frequentem, mollem animumque morosiorem una cum reliquis morbi signis supra laudatis praebuerunt et septimana plurimum una interposita crisibus non conspicuis sanitatem recuperarunt; in hisce autem sequentes de febre observationes fecimus. Horrescentes ante morbum exortum plures observabantur, frigore autem vehementiore correpti nulli. Calor magnus, sitis vehemens, appetentia ciborum deficiens, pulsus frequens, plerumque initio plenus nec tamen durus, raro fortis, vires ad suppressionem vergentes sed lente languescentes et eandem diu conditionem servantes observabantur; aegrius e lecto aegri surgebant. Cutis sensibilis, initio interdum sudor aquosus, largus, horror semper perfrigerii; lotium rubrum, interdum sedimento latericio praeditum, parva semper copia missum inveniebatur. Initio plerumque febris remittebat et exacerbationes vespertinas ciebat, in fastigio morbi autem saepius continua continens fiebat. Quo magis ad inflammatoriam febris accedebat typusque in continuum continentem transire videbatur, eo siccior cutis fiebat, pulsus duriusculus observabatur, lingua arida rubescebat, caput interdum maxime ardebat. Capitis dolore plerique omnino vacabant, deliria furibunda in iuvene tantum S...e per aliquot noctes indeque ab initio morbi videbantur; reliqui agrypnia tantummodo vexabantur.

Memorandum denique pulsus conditionem rarius morbi intestinalis vehementiae respondisse. Haud raro enim quum tormina et tenesmus fortissima essent, abdomen e tactu digitorum maxime doleret, multum sanguinis deiiceretur febrisque arderet pulsum parvum, vix durum sed admodum frequentem invenimus, inflammationem autem extensam nihilominus adesse posse non dubitavimus neque sanguinis

missionem, conditionem certe aegri universam et morbi stadium spectantes, pulsus solummodo caussa incongrui omittendam esse putavimus. Congruenter huic observationi Bosch[1]) dixit: „men verlate zich echter niet te veel op den Pols, want deze is hier zeer bedriegelyk, daar hy menigmaal by zeer intensive ontsteking uitermate klein, gespannen en snel is en ook omgekerd wel eens eene harden velheid heeft, die op zich Zelf eene vena sectie zou indiceren, doch die, indien men zich alleen door zulk eenen pols daartoe liet verleiden, doorc ollapsus zou gevolgd worden, waaruit de lyders maar zelden weder op te wekken zyn.«

Vomitu multi et saepius per diem noctemque laborabant. Evomuere plurimi cibos potusque modo sumtos, bile interdum coloratos, aegra autem illa L...y II per quattuor dies sanguinem laete rubrum fuscumque. Una tantum in aegra B.ck, scrofulosa, lupo laborante abdomen norma tumidius inventum est, in aliis iusto durius, collapsum. Sonum fusciorem abdomen sub finem morbi in nonnullis edidit. Flatus quos Pringle observavit multos in nostris aegris non occurrebant[2]).

Aegrotorum morte exstinctorum alia mulier per tres, alius iuvenis per septem fere dies modo supra laudato laborarunt febrisque indolem rheumatico-inflammatoriam luculenter prae se tulit, dein autem talem morbus indolem sensim induit, ut iure febrem in illam formam abiisse contendere possim, qua dysenteriam typhosam seu nervosam iunctam esse scriptores narrant. Typus in continuum remittentem transibat. Turgor et calor normalis brevi imminuebantur; cutis sicca, minus elastica, pulsus debilitatus et quamquam interdum irritatus tamen debilis semper, parvus celerque, irritabilitas imminuta, caput parum obnubilatum, deliria raro mussitantia, leviora, agrypnia, animi

1) l. c. pag. 186. 2) l. c. pag. 257 seq.

depressio observabantur. Animi autem deliquium absolutum ne in mortis quidam hora aderat. Resurrectio difficilis, motus languidi, collectio lenta membrorum, recordatio difficilior fiebant. Caput calidum, interdum fervidum erat, lingua rubescens, sicca, lignea, in gingiva et labris etiam uxoris K...s aliquantulum fuliginis videbatur. Lotii turbidi, lutei, modo pallidi modo rubri copia exigua mittebatur. Abdomen in utroque norma durius et magis collapsum, quam tumidum erat; quietem aegri sub finem servabant et paucissimas querelas edebant, sudores demum exoriebantur viresque celerrime languescebant. Capitis dolorem ne hi quidem aegri querebantur; vomitu alter tantum vexabatur sed nunquam hicce nec sanguinem nec materiam a faecibus alvinis parum differentem (qualem vomitum Degener[1]) observavit) evomuit. Pulsum iam ab initio morbi intermittentem et plane deficientem, uti idem Degener[2]), non vidimus, immo autem in uxore K...s brevi ante mortem pulsus calorque ad normam fere rediit. Sub finem tormina et tenesmus subitius imminuebantur et pro tempore plane deficiebant; deiectiones uxoris K...s involuntarie secedebant, lipothymiae in utroque accedebant sed conscientia ad finem usque bona retinebatur. Tali modo laborantium alia octavo, alius decimo septimo morbi die exstinctus est.

Virginis L...y II morbus dysentericus in formam chronicam transiit. Initio quidem haec aegrota simili modo atque alii laborabat, sed tam levis morbus fuit, ut obambulandi potestas relinqueretur. Vires parum afficiebantur licet decies die alvus solveretur, sed capitis dolor aderat, vomitus frequens accedebat et interdum cum dolore in regione hypochondriaca sinistra tumidula haematemesis. Septimanis duabus interpositis quum praescripta medica sperne-

---

1) l. c. pag. 17. 2) l. c. pag. 16 seq.

rentur et aegrota saepius foras exire auderet febris ita mutabatur ut calor antea auctus imminueretur, cutis mollis et humida fieret, pulsus autem frequentiam abnormem retineret. Sitis evanuerat, ciborum appetentia redierat. Tormina modo fortiora modo mitiora, tenesmus plerumque mitis relinquebantur, alvi profluvia aquosa, mucosa, sanguine tincta secedebant, sed vires conditionem bonam servabant. Duobus mensibus tali modo interiectis eruptione pustulosa in dorso exorta morbus ad finem feliciter translatus est.

Sanguinis in dysenteria epidemia explorationem chemicam accuratiorem novissimo tempore Artigues[1]) et cum Masseloto Folletus[2]) instituere. Ille fibrinae, albuminis et corpusculorum sanguinis copiam imminutam esse invenit, hi in vehementiore tantum actione febrili fibrinae et albuminis copiam auctam, corpusculorum sanguinis imminutam inveniri contendunt, plerumque vero longe aliam sanguinis compositionem observarunt, cuius analysin quantitativam comparatam hic cum sanguinis sani analysi a Lecanu[3]) instituta proponam:

I Masselot et Follet in 1,000,000 partibus sanguinis dysenterici invenerunt:		II Lecanu in 1,000,000 partibus sanguinis sani invenit:	
Aquae . .	840,288	. . . . . .	790,371.
Fibrinae .	1,715.	. . . . . .	2,948.
Corpusculorum sanguinis .	69,103.	. . . . . .	127,897.
Albuminis et corporum fixorum . . .	58,884.	albuminis .	67,804.
		Oxygenii, nitrogenii etc. etc.	10,980.

Experimento igitur seri copiam valde auctam, corpus-

1) Bullet. de l'acad. de Méd. 1843. 2) Arch. géneral. de Méd. 1843. Juin. 3) Etudes chimiques sur le sang humain. Paris 1837.

culorum autem, fibrinae et albuminis copiam in dysenteria plerumque imminutam esse probatum est, quo quantopere nova illa Doctoris Schweich[1]) de dysenteriae physiologia opinio in dubium veniat, quivis intelligat necesse est.

§. 2. Morbi complicationes.

Plerique morbi casus sinceri videbantur. Mulier nobilis, iam grandaeva, et diutissime carie sterni laborans ulceribusque iamiam cum febre hectica intestinalibus, diarrhoea insuper longinquiore debilitata in dysenteriam subito incidit celeriusque obiit. Alius aeger 18 annos natus K...e Typho cerebrali cum pectoris et intestini gravi affectione vix convalescens leviore caussa morbo correptus est vehementissime pluriesque quum convalescere videretur affectiones recidivas dysentericas tulit. Lienis eodem quo dysenteria tempore intumescentia inflammatoria in puellis duabus occurrit et in altera haud dubie vomitus cruenti supra laudati morbique in chronicam formam aberrationis caussa habenda est. Salivationem mercurialem et Syphilidem in nonnullis dysentericis Dr. Claus observavit nec tamen ullum exinde in dysenteriae decursum exitumque felicem momentum productum vidit. Cum hernia inguinali mobili complicatio in iuvene St . . . r qua talis dysenteriam nec turbare nec periculosiorum reddere videbatur.

§. 3. Cadaverum autopsiae.

Triginta circiter aegrotorum tres obierunt et duorum cadavera probe dissecta sunt.

Cadavera neque oligaemiae signa neque etiam ingentem partium macrorem aut dissolutionem sanguinis prae se ferebant. In cavitate cranii pectorisque nihil tale inventum est, quale necessario cum morbo connexum esse putemus. Aperto ventris cavo omentum maius uberiorem vasorum

1) l. c. p. 57 seq.

iniectionem praestitit. Glandulae mesentericae integrae, mesocolicae autem tumefactae, partim rubefactae partim nigrescentes et intus emollitae inveniebantur. Intestinum crassum collapsum erat et colore fusciori, e rubro caeruleo praecellebat. Superficies eius interna in cadavere uxoris K...s colorem praebuit nigrum et liquore livido, lutoso, foetente obtecta erat. Paries intestini crassi crassitiem iustam multum superabat; membrana mucosa grisea, tumefacta, emollita, facile removenda, tela cellulosa submucosa maxime incrassata, membrana muscularis parum elastica, tunica peritonaealis illaesa videbatur. Praecellebant in superficie interna colliculi multi, transversi, fungosi, decursum plicarum transversalium intestini coli et coeci sequentes, qui in coeco praecipue proxime adstabant et sulcis excavatis, loculamentis coeci colique respondentibus discludebantur. In colliculis hisce membrana mucosa obtectis noduli multi flavescentes, solidi, magnitudine grani milii, hic sparse hic confertim positi videbantur, sed in sulcis quoque intermediis nonnulli inveniebantur. Superficies interna coli descendentis et flexurae Romanae planior videbatur neque tamen noduli hic deerant. Paries recti normam quater quinquiesque superabat; colliculi hic magnitudinem maximam praebebant, neque tamen transverse sed ad axin intestini decurrebant eiusque lumen valde angustabant. In superficie horum in recto colliculorum ulcera permulta videbantur vere dysenterica et parva villosae pars hic eam quam in coeco et colo videramus structuram servaverat: tota fere recti superficies interna sauciata et denudata videbatur. Morbus intestini crassi valvulam Bauhini non transiit. Vesica urinaria et urethra, portio vaginalis et isthmus eius aeque ac superficies interna uteri tubarumque rubefacta inveniebantur, vagina etiam materie lutosa rubescente obtecta. Reliqua organa abdominalia ad normam inventa.

In cadavere aegroti St...r hoc tantum discrimen ob-

servabatur, quod color superficiei internae e viridi ravus fuit. Crassities maxima intestini in coeco, recto et flexura sigmoidea erat parteque inferiori coli descendentis; ulcera videbantur in coeco, recto coloque adscendente sat magna, vix rotunda, non ita alta, margine glabro parum prominente cincta, membranam peritonaealem non attingentia, eiusdem ac reliquae partes coloris e ravo viridis.

Exploratione microscopica in locis affectis inflammationis signa inventa. Tunica interna epitelium mucosae exhibuit modo deficiens, modo mutatum, corpuscula insuper inflammatoria granosa in tunicae huius superficie et in tela cellulosa submucosa large effusa. Noduli tunicae internae impositi chemice explorati fibrinam et copiam parvam adipis praebebant. Villi intestinales destructi raro cognoscebantur. Günsburg villos mucosae vasis capillaribus tumefactis repletos invenit[1]). Materies exsudata secundum huius scriptoris observationem cellulas format inflammatorias et quidem primum in tunica illa fibrarum cellulosarum et telae adiposae, quae epitelium mucosum sequitur, quas inter cellulas vasa capillaria forma retis diffunduntur et per epitelium in villos dilatatos intrant. Evolutione producti inflammatorii, aeque atque excretione copiae maioris materiei formativae e sanguine ad evolutionem illam necessaria, elementa una sanguinis anorganica, formam crystallinam induentia in tunica mucosa intestinorum provocari, quae quidem corpora crystallina neque Simon et Remak observarunt neque in nostris casibus invenimus. Colliculi illi fungosi lumen intestini angustantes supra laudati materie exsudata producti inveniebantur. Caeterum illos easdem formationes habemus quibus Siebert[2]) indolem exanthe-

---

1) Die pathologische Gewebelehre Band I. Leipz. 1845. pag. 68.
2) Zur Genes. u. Therapeut. der rothen Ruhr und deren Verhältniss zum Erysipelas. Bamberg 1839.

maticam dysenteriae intestinalem probare voluit et quae pse *„Quaddeln,“* alii a utem auctores alio nomine vocarunt[1].

CAPUT II.

Observationes aetiologicae.

Causas solum occasionales ad provocandam dysenteriam sufficere neque praedisponentia ocurrere momenta nonnulli contendunt. Huic sententiae addictus Schoenlein certa aëris constitutione dominante certisque incommodis valentibus omnes dysenteria homines corripi dixit, licet ii facilius afficiantur, quorum systema abdominale laesum et debilitatum sit[2]. Experientia contra probatum et in nostra quoque lue observatum est, dysenteria grassante omnes minime homines morbo corripi, qui momentis iisdem epidemiis expositi fuerint, aliosque etiam iisdem e caussis dysenteria affici, quibus expositi alii incolumes remanserint.

Praedisponentibus dysenteriae caussis adnumeranda sunt ista omnia, quibus digestionis organorum vires debilitantur, irritabilitas adaugetur, ita ut caussis occasionalibus accedentibus illa quae necessaria est fortiter resistendi corpusque immune servandi potestas deficiat. Idcirco infantes praecipue morbo corripi adultosque constitutione lymphatica praeditos medici observarunt quod in nonnullis nostrorum aegrotorum probatum vidimus. Scrofulosin, qua debilitatem talem organorum digestionis necessario iunctam esse scimus caussis praedisponentibus hanc ob causam admovendam habeo, pluresque nostra in lue morbo correpti sunt, qui manifesta scrofulosis signa prae se ferebant. Lupo scro-

3) cf. Schweich l. c. pag. 41 seq.

4) Vorlesungen über allgem. u. spec. Pathol. u. Therap. Th. I. pag. 237. St. Gallen 1841.

fuloso laborans virgo B.. inter primos in clinico affecta est. Accedunt morbi intestini organorumque in universum abdominalium ipsi, quos caussas praedisponentes accusare licet. Aegrotus K.., 18 annos natus, statura magna, valida praeditus e Typho cerebrali cum gravi intestinorum affectione, dolore in iliaca dextra, borborygmis, diarrhoeis typhosis atrocibus, longinquis vix convalescens morbum initio statim luis contraxit. Aegrota Lucia iam plures per annos ventriculi affectione cum irritabilitatis adauctae tunicae mucosae signis vexata quum per paucos dies cum alia dysenterica conversata fuisset interpositis nonnullis aliis abdominis affectionibus in dysenteriam incidit. Mentio quoque facienda hoc loco aegrotae illius ulceribus intestini et diarrhoea hectica laborantis, quae dysenterico morbo, quum vehementius grassaretur, fere subito correpta est.

Accedit quod plurimi eorum, quos morbo laborantes curavimus, insalubribus cubiculis, angustis, tenebricosis, humidis mucidisque utebantur, quod tempestate humida tempus praecellebat et plerique aegrotorum edulia et potulenta mala parcaque assumere consueverant. Aegrotam K..h..r, 45 annos natam, scrofulosam aeque atque uxorem illam K...s iam diu ante morbum inopia summa et fame vexatas et curis depressas fuisse constat, adde quod altera lactando per duos fere annos integros maxime debilitata fuit. Quaecunque huius generis momenta si cui imposita occurrunt morbi exortum faciliorem reddere et leviores his sub conditionibus ad dysenteriam commovendam caussas occasionales sufficere haud dubium est.

Quod caussas occasionales attinet in seriem eorum primo loco recipienda sunt momenta illa fere omnia caussarum praedisponentium loco modo nominata, quum iisdem non solum ad morbum dispositionem praeformari, verum etiam sub certis conditionibus morbum ipsum commoveri auctores putent. Coelum ipsum, paludes rerumque putre-

dinem aërem contaminantium nostra in lue accusare non licet, neque etiam libidines animique affectiones uti alias dysenteriae caussas exstitisse observatum est.

Constitutionis vero primum aëreae singularis in morbum provocandum vim, iam ex antiquissimis temporibus experientia stabilitam nostra quoque in lue agnoscere non haesitamus. Misso autem scrutinio de vera aëris moderatione ad morbum commovendum necessaria deque miasmatis indole propria, mera tantum observata adiicere malui et accuratioribus de aëris illo tempore conditione observationibus iam initio huius libelli de industria contextis, breviores tantum hic notas afferendas habeo. Coeli tempestas aestiva in universum talis fuit, qualem dysenteria grassante epidemia plerumque esse auctores narrant. Tempestas valde variabilis, per aestatem dies fervidi cum frigidioribus alternantes, autumno approximante maior interdum per diem calor, qui vespere ad longe inferiorem thermometri statum inclinabat. Adde quod nubes persaepe coelum obtegebant et nebulae imbresque deiiciebantur per hebdomades plures, alternatim autem siccitate iterum tempestas et sudo coelo praecellebat. Tali tempestatis constitutione ad hiemem usque praevalente factum est, ut diutius norma et ad Novembrem usque morbus protraheretur.

Si descriptae modo constitutionis aëreae in morbum commovendum vim propriam quaerentes ab investigatione primum abstinemus, num singulare exinde oriri potuerit miasma, certissima haec rem explicandi via et simplicissima appareat necesse est, ut exhalationis cutaneae subita suppressione morbum commotum esse arbitremur. Aegrota K..h..r dispositione insuper ad morbum prominens quum in agris ambulasset humique desedisset nocte sequente dysenteria correpta est; aegrota K...s, postquam per dies labore efferbuit vespere in multam noctem ante ianuas versata fuerat, aliusque labore defatigatus et calefactus vespere

potu frigido usus erat, qui ambo brevi morbo affecti sunt. Nonnulli quorum cutis nimis sensibilis et morboso modo ad exhalationem propensa fuerat, subito in morbum incidebant, quum sudoris excretio turbata fuisset. Custos illa clinica quae multum temporis propter varias affectiones in cubiculo versata fuerat et e Ptyalismo mercuriali convalescere videbatur, levi spiraculo in ambulacro commoto perfrigerium et nocte proxima dysenteriam contraxit. Alium virum iuvenem, qui cura Dzondii cum Mercur. subl. corrosivo accuratissime utebatur in media cura quum ianua aperta aura in cubiculo moveretur subito perfrigerio in dysenteriam incidentem Dr. Claus vidit, idemque medicus alium in clinico chirurgico dysentericum observavit, qui post superatam curam magnam inunctoriam perfrigerii levissimi accessu morbum contraxit.

Fructuum deinde immaturorum, prunorum praecipue malorumque usum dysenteriae caussam fieri alii contendunt, alii tantopere oppugnarunt, ut fructus tales in morbo ipsa medicamina fieri dixerint. Frugibus hisce propriam eiusmodi vim, qua in quocunque morbus provocari possit insitam esse, omnino negandum, secundari autem illis saepius vario modo morbi principium, comprobandum esse puto. Nimio acidorum usu diarrhoeas serosas exoriri medici consentiunt, idemque fructibus talibus immaturis effici exempla docent. Diarrhoeis tali e caussa exortis longinquioribus aeque atque aliis propria intestinorum vis imminuitur, irritabilitas augetur, quare, si aliae caussae occasionales accedunt, (e. g. aëris constitutio singularis, perfrigerium, animi affectio) dysenteria producitur. Fructus immaturi acidi in eiusmodi casibus causae praedisponentis personam agunt, in aliis momenti occasionalis vim exhibent. Hocce in illis praecipue fieri solet, qui quacunque alia de caussa ad morbum praedispositi sunt, quosque fere subito, ubi fructuum usus accedit, morbus invadit. Duplici modo hoc fieri posse putamus; primum ita ut fructuum frigiditate exhalatio cuta-

nea opprimatur (secundum Zimmermann), dein autem ita, ut in praedispositis iam ad morbum hominibus intestina fructuum aciditate sive contrahente sive secretionem intestinalem adaugente irritentur. Nostra in lue multos fructibus immaturis usos esse constat pluresque morbum inde ortum esse contendere. In omnibus hisce autem dispositio iam ad morbum aderat, quam ubi novum irritamentum accessit fere subito dysenteria sequebatur. Iuvenem illum e Typho convalescentem K... post sumtos malorum fructus dysenteria subito correptum vidimus, aeque uxorem K...s, virginem scrofulosam B.. puerumque N....n, aeque denique foeminam K..h..r inopia et miserie maxime debilitatam.

Postremo de contagio morbi pauca adiicienda sunt. Multa contra dysenteriae per contagium propagationem argumenta iure afferri inter omnes constat, attamen magnam usque vis contagiosae suspicionem relinqui haud dubium est. Sydenham et Willis contagium e dysenteria non viderunt, Pringle autem afflictioribus conditionibus e. g. in castris pauperumque tabernis morbum contagiosum fieri observavit et Degener dysenteriam neomagensem ita descripsit, ut ab uno primum affecto morbum in reliquos deinceps translatum fuisse intelligatur. Nostra quoque in lue angustia rerum contagium ortum esse non dubium est, quum facilius viam demonstrare possimus, qua ab una aegra in alios plures morbus translatus fuerit. Contagium autem dysentericum non tam vehemens esse qualia aliorum morborum contagia et facilius a corpore sano refutari experientia probatum invenimus, praeterea etiam non e quovis casu contagium oriri, ortum autem contagium lentius quam alia propagari. Uxorem K...s primo omnium in regione urbis septentrionali et deteriore morbo affectam contagii semen sparsisse arbitror. Misera qua et antea et in morbi principio usa erat vitae conditione, enervatione praecedente, cubiculi exigui humiditate, auxilii omnis curaeque initio me-

dicae defectu, mariti demum iniuriis factum esse iam supra dixi, ut brevi illam morbus speciem induerit, quam alii nervosam, alii typhosam, alii typhoso-septicam vocant et contagii vulgo fontem frequentiorem iudicant. Mittamus infantem eius, quem morbi initio lactaverat morbo correptum esse, quippe quod alia ratione facilius explicari possit et reliquos tantum casus luculentiores enarremus. Septimo morbi die uxor K...s in clinicum translata erat et sequente iamiam die illo ipso in domo, quo antea habitaverat mulieres duae, quae auxilium ei tulerant morbo afficiebantur, quarum morbus quamvis eandem initio speciem perniciosam non praebuerit tamen tam vehemens et vere inflammatorius fuit, qualem uxoris K...s morbum initio fuisse comperi. Non multo post alia illa in clinico ipso mulier Lucia aegrotare incepit, quae custodis munus tunc temporis expleverat et sedes illius removerat. Haec ipsa summum se e deiectionum dysentericarum foetore taedium percepisse contendebat; aegritudo qua primum afficiebatur dysenteriae prodromos simulabat et revera deinceps in dysenteriam transibat, claro mihi argumento, contagium dysentericum per longum tempus in corpore latere posse, antequam se prodat. Postea illo ipso in urbis domo tertiam puellam M..z morbo affectam curavimus quae illa aliisque duabus usa fuerat, immo ultimus omnium casus post septimanas plures ibidem occurrit. Vicinia proxima illius domus morbo vacabat, quum autem aliquot in clinico medico aegri versarentur alii multi brevi in clinico chirurgico corripiebantur. Linteorum et vestimentorum sudore perfusorum, sellarum porro suppositoriarum usu communi hisce aegris morbum imputatum esse dubito, spiritu potius halituque aegrotorum et deiectionum foetore contagium translatum esse cum aliis consentio. Contagium postremo dysentericum non tam facile transmitti maioremque dispositionem poscere inde experti sumus, quod maritus uxoris K...s, qui eodem lecto quo illa usus erat, incolumis remansit.

CAPUT III.

Observationes prognosticae.

Dysenteriae prognosin caute tantum statuendam esse invenimus, quum casus aliquot principio leviores visi summam postea vehementiam assequerentur.

In debilioribus et infirmatis, nervosis prae caeteris et lymphaticis prognosin providius generatim statuendam esse quam in sanis antea validisque corporibus morbo correptis probatum est. Una autem dysenteriam, si quo in corpore eximie valido robustoque, imprimis hyperaemico exoriebatur, magnam vehementiam aggredi nec minus timendam fieri observavimus, cuius rei exemplum praestantissimum Dr. Marcus fere morti iam addictum, iuvenem dico S...e, cura sollertissima servavit. Aegroti plerique media vitae aetate fruebantur, reliquorum autem natu minores gravius illis laborabant; grandaevi morbo vacabant. Sexum sequiorem inprimis infestari, quod Degener enarrat, in lue nostra non probatum est, quum inter triginta circiter aegrotos idem fere virorum mulierumque numerus inveniretur.

Illi qui bonis vitae conditionibus gaudebant, licet morbus gravis fuerit, citius tamen et certius sanabantur et pari modo illi, qui primo morbi initio medicum arcessebant. Ea ipsa de causa factum est, ut graviores casus qui a primo morbi initio in clinico curabantur, facilius sanare possimus quam alios pluribus diebus interpositis in nosocomium receptos, licet cura, quantum fieri potuit, iam domi inchoata fuerit. Aegrotorum qui morbo succubuere alia quinto, alius tertio die post morbi principium medicum arcessivit, quum illa iam typhosa morbi specie conspicue laborasset.

Quum constitutio aëris talis fuisset, qualis supra descripta ad dysenteriam idonea iudicatur, morbi casus multos graviores et perniciosiores exstitisse pluresque obiisse non mirum est. Quo plures gravioresque morbi caussae ad pro-

vehementia, alvi profluvia frequentissima, male olentia, versicoloria, rarius sanguinem merum, saepe sanguinem decompositum praebentia, serosa, interdum etiam involuntaria, dolor dein cum tenesmo subito remittens immo omnino cessans, inprimis autem vires celerrime deficientes et ad prostrationem vergentes. Sanguinem e sedibus disparere, immo deiectiones faeculentas fieri rarioresque felicem exitum per se indicare in hisce non potuit; virium una conditio signaque morbi localia accurate respicienda fuere: ne instante morte eventus prosper falso praedicetur. Clarum huius rei exemplum praebuit aegrotus St...r, qui quum decimo tertio morbi die sanguinatio subito desisteret, sedes faeculentae fieri viderentur et rariores, vires autem una eximie collaberentur dolorque relinqueretur, pluribus diebus post mortem occubuit. Subitam hanc morbi mutationem epistaxis larga praecessit, quam signis infaustis hoc in casu adnumerare non dubitavimus. Anum late patere, ita ut digitus facile immittatur et clysmata retineri non possint, ulcerationis potius tunicarum recti quam medullae cerebrique affecti signum, cuius alia exempla Pidoux, Mercier[1]) et Sicherer[2]) prodiderunt, quinto iam morbi die in iuvene illo St...r observavimus. Sphincteris talem ani resolutionem incompletam esse et interdum contractiones fieri Bouchut[3]) contenderat et experientia probatum invenimus, quum brevi ante mortem anus ad normam contractus inveniretur. Ventrem postremo intumescere a pluribus inter signa lethalia receptum, in nostris non vidimus; revera autem in utroque aegro, quem observationes hae spectant, abdomen sub finem valde collapsum et norma durius inventum est. Similem huic Boschii observationem habeo, qui sonum fuscum in regione cocci et coli ad si-

1) Journ. de Méd. 1843. Novemb. 2) Würtemb. med. Corresp. Blatt 1843. No. 31. 3) Journ. de Méd. 1843. Aug.

militudinem argenteum vocatum (Zilverton) ulcerationis extensae et periculi ideo summi signum pathognomonicum esse dixit[1]). Mortem proximam in aegris nostris lipothymiae indicabant pulsusque parvus, inaequalis, membra frigida, sudor aquosus in fronte, facies hippocratica, deiectiones alvi omnino deficientes. Singultum, quem Degener iam primo in paucis, secundo tertiove die in plurimis observavit, in nostris non vidimus. Aphtae non erumpebant, deliria tantum leviora aderant; placide aegroti mentisque satis compotes moriebantur.

Recidivus morbus factus est aegrotae Luciae primum cibi usu noxii, dein animi affectione vehementiori, aegri autem K.. perfrigerio iterato.

Aegrotus S...e septimanis octo post dysenteriam sanatam interpositis defatigatione primum membrorumque lassitudine afficiebatur et dein dolore femoris vehementi, qui nervi ischiadici decursum insequens ad genu usque descendebat et vesicantibus usuque olei iec. Asell. longinquiore sanabatur. Singularem hanc Doctoris Marcus observationem reliquias dysenteriae spectantem eo magis hic afferendam esse putavi, quum similem huic in Hippocratis libris observationem invenerim[2]).

CAPUT IV.

Observationes therapeuticae.

Semper optimum erat medicamina adhibere, quum natura ad sanationem sufficere non videretur.

Prophylactica ne plures afficiantur cura ut adhibeatur raro nobis contigit: quum talis generis homines quales plerumque e clinico curantur nonnisi exorto morbo medicum in

---

1) l. c. pag. 106. 2) Hippocratis Opp. edid. Kühn. Lips. 1825. *περὶ διαιτης ὀξεων* Tom. II. pag. 85.

auxilium vocare soleant. Ad morbum autem exortum accedentes primum caussas morbi externas removere aut saltem demulcere studuimus.

Diaeta modo e muccilaginosis constituta (e. g. Decoct. hordei, avenae, oryzae cum lacte aut aqua parat.), parumque panis albi desiderantibus permissum est. Decocta illa satis tenuia esse aegrosque exiguos tantum eorum quotiescunque haustus assumere voluimus, quum e maiore dosi saepius vomitus moveretur; pro potu Infuso flor. Tiliae aut aqua Oryz. vel etiam decoctis illis utebantur. Quum morbus in convalescentiam verteretur primum iusculum lacteum et e farina coctum permisimus, dein vitellum ovi, postremo iusculum carneum, caute demum et sero ad carnosa et leguminosa transeuntes.

Omnies aegroti ut lectum teneant et modice lodicibus obtegantur, neve, quantum fieri potuit, lectum alvi solvendi caussa derelinquere debeant curavimus. In clinicum recepti aegroti in summa morbi vehementia plurimum temporis in sella suppositoria molliter substrata versabantur, in urbe, ubi fieri potuit, solum stramentis obducebatur ne perfrigerium inde exoriretur. Aërem saepius per diem fenestris apertis renovare in urbe non semper permisimus, quum cubiculorum angustia perfrigerium necessario ortum sit Mundities quantum in hoc morbo valeat in clinico praecipue experti sumus, quum strenua eius prae caeteris tutela, quominus plures morte correpti essent et in laborantibus iamiam maiorem morbus vehementiam adeptus fuerit prohibitum esse putemus.

Dr Claus novem in clinico chirurgico aegros curavit, quorum plurimi levius aegrotabant. Nonnullis principio, quum gastricae affectionis signa adessent, emeticum praescriptum est, neminem autem exinde boni quidquam percepisse. Aliis Natri carbonic. sat magnae doses, aliis Radic. Rhei parvae doses profuere, plerique autem e muccilaginosis

(G. Tragac. G. mimos. Rad. Salep), cum Opio et gravius laborantes e Clysmatibus cum Opio et Plumbo acetic. paratis nec non interno Plumbi acet. usu sanitatem recuperarunt. Cucurbitulas ponere uno tantum in aegro necessarium fuisse.

In clinico medico et policlinico quum localis affectio maior vel maxima esset febrisque rheumatica inflammatoria videretur cucurbitulas primum plures in abdomen ponere suasimus. Plerumque semel cucurbitulas ponere suffecit, interdum autem tertio alterove morbi die et in ulteriore etiam morbi decursu iterare eas necessarium fuit. Dolor enim cucurbitulis positis in plurimis remittebat, immo in nonnulis illico fere evanescebat, febris remittebat, sanguinis brevi copia minor in sedibus observabatur: sed saepius tormina iterum iterumque recrudescebant. Alii cucurbitulis positis quum tormina mitiora relinquerentur e cataplasmatum et Epithematum (aut cum furfure tritici et florib. Chamomill. aut cum speciebus emollient. Hba Hyosc. et Capitib. Papaver. paratorum) usu levamen perceperunt.

Plurimis inde a morbi principio Dec. rad. Salep cum Opio praescripsimus et ex hac medicina, nedum unquam mali quidquam viderimus, contra tormina et tenesmum brevi imminui, deiectiones rariores et minus sanguineas fieri, inflammationem ideo intestini eiusque irritabilitatem mitigari invenimus. Alii bono cum eventu pulvere rad. Ipecac. et Opio usi sunt, et aegrotus ille e Typho convalescens K.. hoc solo remedio restitutus est. Nonnumquam muccilaginem rad. Salep cum Opio, interpositis dosibus refractis pulver. rad. Ipecac. adhibuimus aut mixturae illi opiatae grana tria quattuorve pulv. rad. Ipecac. addidimus. Qui agrypnia vehementi et nimia profluviorum frequentia laborabant porrectis sub vesperam pulver. Ipecac. opiat. granis X aut XV et melius dormire potuerunt et sudorem exortum laudarunt, quo facto morbus plerumque in melius mu-

tabatur. Dr. Marcus in aegro S...e plures per dies hocce medicamen frustra adhibuit, sed tamen decimo morbi die bonum successum assecutus est. Quum dysenteria inde a principio vehementior esset, alvi profluvia norma diutius larga et frequentia remanerent et sanguinis multum continerent, tormina e cucurbitulis non omnino evanescerent ad Plumbum aceticum transire bonum invenimus, cuius interne granum dimidium aut unum (ternis binisque horis) et in clysmatibus grana duo ad quattuor, additis aut Opii aut pulver. rad. Ipecac. parvis dosibus, cum fructu praescripsimus.

Foemina K..h..r, quae per octo dies, licet tormina imminuta fuerint, tamen maxima alvi frequentia, profluviis cruentis, tenesmo cruciata fuit, e cl. Nasse consilio Extr. nuc. vomic. aquosi granum dimidium quaternis horis sumsit et meliorem brevi conditionem assecuta est: contra autem in iuvene St...r ex eodem medicamine prius et maiore dosi adhibito nullum levamen produximus Virgo L...y H. quum febris parum fortis esset sedesque mucosae deiicerentur et parum sanguinis continerent Natro nitrico secundum praescriptionem Radermacheri usa est, sed brevi eo abstinuimus, quum parum emolumenti afferre videretur. In aegrota B.. et iuvene N....n, quum in morbi decursu tormina et tenesmus pertinaciter remanerent et profluvia sanguinea relinquerentur, regio mesogastrica tumidula et duriuscula inveniretur neque morbi initio sedes faeculentae secesserint, Dr Marcus morbum forsan ex accumulatis in intestino tenui faecibus protrahi ratus Infus. fol. Senn. cum Natro sulphur. semel tantum adhibuit et post faeculentas aliquot alvi deiectiones morbum in melius mutari observavit. In aegro autem S...e idem medicus eodem remedio sedes quidem faeculentas protulit sed morbum sanare non potuit neque idem in hoc ipso aegro dum febris et inflammatio manebat e radice Colomb. commodum

ullum percepit, cuius remedii usus inflammatione debellata quum profluvia alvi largiora relinquerentur, maxime utilis inveniebatur. Uxor L...y I. cuius tormina a principio leviora febrisque parum fortis erat radice Colomb. adhibita brevius restituta est.

Tali modo laborantes fere omnes clysmatibus cum fructu usi sunt et quidem quum parva tantum copia sanguinis secederet neque tenesmus fortis esset e mero decocto Amyli, quum autem maior cum plumbo acetico et Opio paratis. Copia massae iniectae uncias quattuor non superabat, clysmata autem quam saepe fieri potuit applicare suasimus, nec incommodum inde ullum percepimus. Tenesmus, quum in foemina K..h..r reliquis morbi signis iam in melius mutatis nimis diu et fortiter remaneret, hirudinibus e consilio cl. Nasse ad perinaeum appositis brevi mitigatus est. Puella W...t tenesmo diuturno inunctione Unguenti Bellad. in perinaeum anumque liberata est.

Quum in uxore illa K...s quinto morbi die tormina subito imminuerentur, vires collaberentur, febris irregularis fieri videretur et iam sanguinis missio aut generalis aut localis non amplius permissa iudicaretur, omnia denique signa ulcerationem intestini crassi indicarent, remediis supra laudatis frustra adhibitis strenuo cataplasmatum et Plumbi acetici interno et clysmatum forma usu morbum levare et fortasse etiam sanare studuimus, neque tamen perspicuum inde commodum percepimus nec mortem arcere potuimus. Infelici hocce casu edocti quum in iuvene St...r similis iterum conditio exoriri videretur seposito statim Plumbo ad extractum nuc. vomic. aquos. transiimus, quod, quum brevi nil emolumenti afferret, denuo missum est. Tormina ventris pluries ingravescentia cucurbitularum et hirudinum usu iterato vix tollebantur, quare similem iam ut in aegra K...s intestinorum degenerationem adesse rati ad medicamina graviora, adstringentia transeun-

dum esse putavimus. Quum vero ingens ad vomitum nisus adesset et taedio nimio affectus aeger omnia medicamina abhorreret, praeterea etiam ut quam proxime ipsam partem affectam attingamus remedia clysmatum forma adhibere maluimus. Posito emplastro vesicatorio in abdomen clysmata applicata sunt e Plumbo acetico cum Opio, alumine aceto vini diluto et postremo ex argento nitrico cum parva dosi Opii. Ulteriora medicamina strenue adhibita prosperum revera successum producere videbantur, sanguinis enim copia omnis e profluviis alvi brevi discedebat et sedes faeculentae fiebant, nihilominus autem vires in dies collabebantur, febris nervosae signa luculentius prodibant et decimo sexto die aegrotus mortem occubuit.

Bosch[1]) in specie typhoso-septica ad sanandam localem intestini affectionem alumen, plumbum aceticum, acetum cum aqua in clysmatibus bono cum successu adhibuit, maxime autem laudat clysmata ex argento nitrico cum opio, »waarna doorgaans de hevige persing, de kramp en de kwellende veelvuldige neiging tot den stoelgang bedaren.«

Virgo L...y H. chronica dysenteria laborans medicaminibus supra dictis adhibitis, quum nihil impedire et complicatio remota videretur per plures septimanas Radicem Colomb. Ratanh., Corticem Cascarillae, lignum Quassiae sumsit: sed sedes semper fluidae, rubescentes remanebant et frequentia normam superabant. Plumbum quoque aceticum et interne et in clysmatibus adhibitum morbum non mutare videbatur et Ol. Hyosc. coctum, Unguent. hydrarg. cinereum, Ung. opiatum frustra in abdomen inuncta, cataplasmata et epithemata emollientia et anodyna incassum abdomini imposita sunt. Praescripsimus denique Argentum nitricum interne parva dosi sumendum septima inde a morbi initio septimana et mirum in modum morbum inde tamdiu

---

1) l. c. pag. 223.

pertinacem sanatum vidimus. Idem remedium Bosch in dysenteriae indicae specie chronica maxime laudat.

Postremo quum in casibus modo laudatis dysentericis plumbo subacetico (caeterum iam a Mitchell et Burke ante aliquot annos in dysenteria epidemia praescripto) et externe et interne adhibendo non defuisse nos eluceat, mirum apparet quod Barthez[1]) hanc curandi methodum tanquam »nouveau traitement de la dyssenterie“ promulgavit. Plumbi autem subacetici effectum ,,quant à la dyssenterie elle est arretée presque subitement,“ non tam certum omnino esse in aegris nostris observavimus et medicaminis huius actio non tam ,,en raison de l'action adstringente de ce médicament sur les muqueuses et de la constipation qui accompagne l'enteralgie saturnine,“ quam in vi inflammationem depellente quaerenda est. Eadem hac sententia ducti Spiritus et Nasse in adaenitide intestinali nervosa plumbum subaceticum, sed in casibus recentibus cum febre inflammatoria nunquam nisi praemissa cucurbitularum applicatione porrexerunt, quod quoque principium utroque nostrae dysenteriae epidemiae casu, sero, ut recentem inflammationem aggredi liceret, arti medicae oblato neque ita multo post morte finito, optime probatum est.

---

1) Journ. de médécine par M. Trousseau. Janvier 1846 pag. 17.

VITA.

Natus sum Düsseldorpii d. 23. mensis Octobr. a. 1823, patre Cornelio Bergrath, rei politicae nunc Cliviae curatore et matre Theresia e gente Timmerscheidt, quos vivos adhuc veneror. Fidem confiteor catholicam Romanam. Primis literarum elementis scholis privatis imbutus anno aetatis nono per semestria duo pictorum Düsseldorpii Academiam, directore cl. Schadow florentem frequentavi. Mense Octobr. a. 1833 Gymnasium Düsseldorpiense, quod t. t. auspiciis cl. Wüllner beat. florebat. adii studiorumque curriculo et examine absoluto testimonio maturitatis munitus dimissus sum. Tempore autumnali a. 1841 almam literarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii et die 28. Octobr. a cl. G. Bischof, t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus nomen professus sum apud cl. Ritschl, t. t. ordinis philosophorum decanum spectatissimum. Per semestre primum philosophicis et philologicis studiis incubui et seminarii regii philologici exercitationibus, duce cl. Ritschl, sodalis auscultans interfui, semestre autem sequenti medicinae studium amplexus sum et d. 27. April. a. 1842 apud cl. Harless, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum nomen dedi.

Scholae, quibus per novem semestria interfui, hae sunt:

I. Philosophicae et philologicae: Logice et psychologia apud cl. van Calker; Chemia experimentalis, phyto- et zoochemia apud cl. Bischof; Physice experimentalis,

apud cl. Plücker; Mineralogia apud cl. Nöggerath; Botanice apud cl. Treviranum; Zoologia et Zootomia, nec non historia naturalis mammalium apud cl Goldfuss. Historia literarum Romanarum et Horatii odae apud cl. Ritter; Aeschyli Septem ad Thebas apud cl. Ristchl; Demosthenis orationes Olynthiacae apud cl. Schopen; Taciti Germania apud cl. Arndt; Lucretii de rerum natura libri apud cl. Harless; Goethii Faustus apud cl. Düntzer; de legibus vitae organicae nec non Anthropologia apud cl. Nasse.

II. Medicae: Historia medicinae omnis aevi, Hygiene, Diaetetice apud cl. Harless; Encyclopaedia et Methodologia artis medicae apud cl. E. Bischoff; Anatomia et generalis et specialis apud cl. Mayer et cl. Weber; demonstrationes praeparatorum musei anatomici apud cl. Mayer; Physiologia generalis et specialis, Craneoscopia Galli, Pathologia generalis et Semiotice apud cl. Budge; Therapia generalis apud cl. Nasse et cl. Naumann; Materia medica et Formulare apud cl. Bischoff et cl. Albers; Therapia specialis apud cl. Nasse, cl. Naumann et cl. Albers; morbi animi apud el. Nasse; morbi infantum aput cl. Kilian; morbi venerei apud cl. Albers; Toxicologia et doctrina de fracturis ossium et luxationibus apud cl. Brach; anatomia pathologica apud cl. Albers; ars obstetricia, doctrina de instrumentis obstetriciis, de operationibus chirurgicis apud cl. Kilian; Chirurgia, de fasciis ligandis, de instrumentis et machinis chirurgicis apud cl. Wutzer; anatomia chirurgica apud cl. Weber; Medicina forensis et Politia medica apud cl. Harless.

In exercitationibus practicis duces mihi fuere: in arte